

constare lineis. Quare multiplicanda sunt nobis viginti triangula in trianguli vnus latera, fiuntque sexaginta, quorum dimidium est triginta. Ad eundem modum & in dodecaedro. Cum enim rursus duodecim pentagona dodecaedrum comprehendant, itemque pentagonum quoduis rectis quinque constet lineis; quinque duodecies multiplicamus, fiunt sexaginta, quorum rursus dimidium est triginta. Sed cur dimidium capimus? Quoniam vni quodque latus siue sit trianguli, siue pentagoni, siue quadrati, vt in cubo, iterato sumitur. Similiter autem eadem via & in cubo, & in tetraedro & in octaedro latera inuenies.

Lateralium figurarum inuenienda.

Angulorum figurarum inueniendi.

Quod si item velis singularum quoque figurarum angulos reperire, facta eadem multiplicatione, numerum procreatum partire in numerum planorum, quae vnum solidum angulum includunt: vt quoniam triangula quinque vnum Icosaedri angulum continent, partire 60. in quinque nascuntur duodecim anguli Icosaedri. In dodecaedro autem tria pentagona angulum comprehendunt, partire ergo 60. in tria, & habebis dodecaedri angulos viginti. Atque simili ratione in reliquis figuris angulos reperies, &c.

Problema 6. Propositio 6.

In dato octaedro pyramidem, seu tetraedrum describere.

Pro.